

## CONCIO II.

causa est, cur aves tanta industria nidificant, ciborum oblita ovis incubant, pro pullis suis pugnant? Amor. Vide igitur ut amore Dei ardeas, et in eo semper crescas: tunc invenies quod dico, jugum Christi semper magis et magis leve. Quando quis brumæ tempore onus aliquod ferre humeris nequit, imponit illud trahæ et nullo negotio trahit. Videtur quidem onus augeri dum traha ei adjungitur sed hæc ipsa levius facit onus. Simili modo dicere quis posset, duplicari onus, dum amorem etiam requirimus ad mandatorum observantiam? Sed hæc ipsa rheda vel traha magnopere eam levigat. Si ergo Christum legislatorem nostrum ex corde amaremus, onus ejus parum sentiremus.

V. Ob considerationem præmii, quod jugo Christi annexum est. Si enim agricola tolerat labores plurimos ob spem frugum et messis, si operarius portat pondus diei et æstus ob denarium diurnum, si miles se innumeris exponit vita periculis ob spem prædæ vel gloriæ; mercator periculis maris ob spem lucri, et his omnibus sine tædio; quomodo asperum esse potest, pro æterna gloria portare jugum Christi brevi hujus vita curriculo? Obtulit se Jacob ad serviendum pro Rachelè septem annis in pastorali munere: *Et videbantur illi pauci dies,* (inquit Scriptura) *præ amoris magnitudine,* Gen. XXIX. Cur non ergo similiter leve nobis erit jugum id, quod parvo tempore gerimus pro æterna felicitate? Propterea apost. ad Ephes. c. 4. tam vehementer erat: *Ut Deus, inquit, Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ dixit gloriæ hereditatis ejus in sanctis, etc.* Non enim dubitavit apostolus, omnem nostrum laborem suavem nobis et levem fore, si illuminatis oculis intueremur dignitas gloriæ laborantibus præparatas. In prato spirituali (quem librum S. Nicæna Synod. approbavit) legitur monachum quemdam cellulam sibi construxisse, duodecim passum millibus ab aqua dissitam. Quadam die egressus ad eam apportandam animo ex lassitudine linqui cœpit, recollectis nonnihil viribus, seipsum stultitiae damnat, quod loco tam incommodo domicilium sibi delegerit: ergo dum variis mens cogitationum fluctibus quatitur: *Bene habet, inquit, vicinior aquis cella, lacus quærenti non deerit.* Hæc dum animo versat, ecce tibi pone illum quasi hominis vox (cœlo sine dubio delapsa) unum, duo, tria, articulate in aere efformans. Versus in stuporem monachus in omnem partem oculos circumferrens, curiosus num quem in solitudine fortasse videret metientem quidpiam, comprehendit nemini-

nem; iter ergo prosequitur suum, urgetque designatum mente tuguriolum: redit ut ante vox altera, eosdem numeros ingeminans. Incassum de nuno frater respicit: adest tertio, ternarium itans, qua vix finita, juvenis adstat speciosissimus, itaque virum alloquitur: *Ne turbere, angelus e cœlo mittor, passus tuos singulos studiosime numerans, sua ut cuique merces, eaque amplissima olim solvatur,* finit, et ex oculis monachi se subducit. Hie vero quid? Errorem corrigit, mentem mutat, et cui animo sederat, accedere aquæ propius, statuit ab eadem (quod et fecit) multo adhuc recedere longius; didicerat scilicet auctis laboribus auctius vicissim in pulchra illa æternitate præmium respondere.

Alexander M. cum itinere videret Macedonem agasonem, qui mulum defessus auro onustum plurimos ob spem frugum et messis, si operarius portat pondus diei et æstus ob denarium diurnum, si miles se innumeris exponit vita periculis ob spem prædæ vel gloriæ; mercator periculis maris ob spem lucri, et his omnibus sine tædio; quomodo asperum esse potest, pro æterna gloria portare jugum Christi brevi hujus vita curriculo? Obtulit se Jacob ad serviendum pro Rachelè septem annis in pastorali munere: *Et videbantur illi pauci dies,* (inquit Scriptura) *præ amoris magnitudine,* Gen. XXIX. Cur non ergo similiter leve nobis erit jugum id, quod parvo tempore gerimus pro æterna felicitate? Propterea apost. ad Ephes. c. 4. tam vehementer erat: *Ut Deus, inquit, Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ dixit gloriæ hereditatis ejus in sanctis, etc.* Non enim dubitavit apostolus, omnem nostrum laborem suavem nobis et levem fore, si illuminatis oculis intueremur dignitas gloriæ laborantibus præparatas. In prato spirituali (quem librum S. Nicæna Synod. approbavit) legitur monachum quemdam cellulam sibi construxisse, duodecim passum millibus ab aqua dissitam. Quadam die egressus ad eam apportandam animo ex lassitudine linqui cœpit, recollectis nonnihil viribus, seipsum stultitiae damnat, quod loco tam incommodo domicilium sibi delegerit: ergo dum variis mens cogitationum fluctibus quatitur: *Bene habet, inquit, vicinior aquis cella, lacus quærenti non deerit.* Hæc dum animo versat, ecce tibi pone illum quasi hominis vox (cœlo sine dubio delapsa) unum, duo, tria, articulate in aere efformans. Versus in stuporem monachus in omnem partem oculos circumferrens, curiosus num quem in solitudine fortasse videret metientem quidpiam, comprehendit nemini-

potest, quod ab optimo et amantissimo patre Christo nobis impositum sit. Gravissima videri Isaaco sarcina illa lignorum poterat, quam imposuit ei pater ferendam, Gen. XXII. nisi eam sciret a benignissimo patre sibi impositam. Quanto aequius ferendum onus, quod imposuit nobis Christus, qui novit exactissime quid et quantum nobis imponat, quamque id necessarium et salvare nobis sit; tantum abest, ut vires nostras opere velle importabili jugo existimandus sit. Quomodo enim non omni tyranno crudelior et stolidior foret, si impossibilia præcepisset et impo-

## IN FESTO S. MATTHIAE APOSTOLI.

tabilia imposuisset; taceo quod nullum peccatum foret non implere, quæ non possis?

VII. Ob consolationem divinam, quæ est instar unguenti, quo inunctus currus faciliter trahitur: De quo Isaías, X. dicitur: *Computrescat, id est, mollescit, jugum a facie olei:* et II. Cor. I. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Quam grave jugum putatis jacuisse in dorso S. Andreæ, cum biduo in cruce penderet? Et tamen ille, cum venissent, qui deponerent eum, rogavit Dominum, ne id permetteret: *Ne me permittas Domine, inquit, descendere vivum.* Quid quoque emollivit et putrefecit hoc tam grave ejus jugum, nisi consolatio interna, qua abundabat? Non ita jugum eorum, qui mundo serviant, inunctum est: strideret currus eorum, quia unctione ista caret.

VIII. Ultimo alleviatur usu et consuetudine. Sic currus in ipso progressu faciliter trahitur quam initio. Sic pueri etiam parvi magnas campanas pulsant dum illæ sunt in motu, non ante. « *Su- bito procedent de umbra ad solem, ait Sanctus Bernardus epistola quinta, de otio ad laborem.* Grave cernitur omne quod incipit: sed postquam ab iis dissuescere et ad illa se paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod impossible ante putavit, etc. » Denique, jugum Christi simile est herbæ moly, quam Ulysses difficillimam navigationem instituit, secum accepisse contra præstigia Circes scribitur ab Homero, ejus enim radix erat nigerrima, flores autem candidissimi: simili modo virtus præsentissimum remedium in hujus vita navigatione contra dæmonum insidias, initio quidem horrida est homini inassueta, postea vero palatim vertitur in suavissimi odoris flosculum. Quare auditores, ne dubitemus jugo Christi subiiciere cervices nostras: tametsi enim in hoc tempore deformitatem et asperitatem aliquam continet, progignet tamen ad finem temporis et initium æternitatis candidissimum æternæ felicitatis florem, etc.

## CONCIO III.

INVITATORIA AD JUGUM DIABOLI TRAHENDUM  
DISSUADENTUR.

- I. Invitat per superbos. — II. Invitat per avaros. — III. Invitat per obscenos. — IV. Invitat per invidos. — V. Invitat per iracundos. — VI. Invitat per gulosos. — VII. Invitat per otiosos.

## THEMA.

*Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. XI.

Traditur hyæna sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicujus adscire, quem evocatum foras laceret, ut scribit Plinius, lib. VIII. c. XXX. Quo schemate recte delineari potest humanam supremi pastoris nostri Christi vocem et loquendi modum imitatur, ut ita incautos homines ad se evocatos perimat. Invitat nos Dominus in hodierno evangelio ad suave jugum suum suavissimis illis verbis: *Venite ad me omnes, etc.* et passim alibi in ss. litteris per os Spiritus sancti: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos,* Psal. XXXIII. et: *Venite, comedite panem meum, etc.* Prov. IX. Sed ecce hanc eamdem vocem imitatur dæmon, et a suavi Christi jugo, ad gravissimum suum evocat homines non tam sua quam suorum mancipiorum humana voce. Modo enim clamat: *Venite faciamus nobis civitatem et turrim,* Genes. XI. modo: *Venite sapienter opprimamus eum,* Exod. I. modo: *Venite fruamur bonis, etc.* Sap. II. modo: *Benite percutiamus eum lingua,* Jerem. X. modo: *Venite et occidamus eum,* Matth. XI. modo: *Venite sumamus vim et impleamur ebrietate,* Isa. LVI. modo: *Venite mittamus sortes,* Joan. I. Et quidem si unquam alias deceptorias has emitit voces, tum maxime his diebus, quibus imminent bacchanalia. A quibus nos paterne dehortatur Sapiens, Prov. I. *Fili mi, inquit, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Si dixerint: *Venite nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernum viventem et integrum quasi descendentes in lacum.* Omnam pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum. (Quis in istis verbis non agnoscit vocem bacchantium?) *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum: pedes enim illorum ad malum currunt.* Videat igitur unusquisque cujus vocem audiatur, Christi invitantis ad refectionem, an diaboli invitantis ad perditionem: Christi invitantis ad

jugum suave, an diaboli invitantis ad jugum grave et importabile. Qua in re ne quis decipiatur, examinabimus accuratius voce cacodæmonis, et jugum ad quod vocat.

I. Per superbos et ambitione clamat: *Venite faciamus nobis civitatem et turrim, cuius culmen pertingat ad cælum et celebremus nomen nostrum.* His verbis invitavit filios Noe ad ædificandam turrim Babel, Gen. XI. tum ut eo edificio nomen sibi facerent, tum ut in eo diluvium (si quod deinceps iterum fieret) effugere possent, ut irudit Josephus. Sed quorsum te hi invitant? Nonne ad laborem immensum? Nonne ad jugum grave? Conantur ambitiosi acquirere sibi nomen et erigere titulos statuas, gloriam et celebritatem. Sed quanta impensæ et laboris id est? Alii serviunt multis annis, nihil quantumvis vilium obsequiorum detrectant: blandiuntur, munera adjiciunt, ut sperata potiantur dignitate: alii maxima aduent pericula, in equis currunt, hastiludia exercunt, etc. ut videantur et celebrentur: alii militiam tolerant et in ea durissima quæque latera hostibus objiciunt, ut aliquod manus obtineant: ali libos componunt, diu noctuque student, etc. ali maximas hoc tempore impensas faciunt ut pompa et splendore alios larvatos superent et ab omnibus suscipiantur. Sed quid tandem efficiunt? Imprimis sœpe frustra laborant et confunduntur dum in medio opere abripiunt e vita, vel turpiter spe sua frustrantur, ita ut omnia eorum obsequia non observentur aut currentur a magnatibus, quibus blandiuntur: ac sicut ædificatores Babel cum forte pterent ligna, alii præbuerunt lapides, cum pterent trullam, alii porrexiunt malleum: ita fit ambitiosus et contigit arrogans illi Ablevio, qui a Constantino imperatore ad tantam gratiam evectus erat, ut pene imperatore plus posset: postea Constantinus filius Constantini eum imperio exuit, et satellites cum litteris honorariis ad eum misit, ut eum interficerent. Qui primo litteras ad pedes provoluti exhibent, quibus perfectis omnique metu solutus, purpuram magno fastu in litteris oblatam poposcit: at illi nihil se amplius in mandatis habere professi, pro foribus stare, quibus tradenda purpuræ cura incumberet, dixerunt intro missi virumque adorti, pro stola purpurea necem illi purpuream obtulerunt, frustatum dissesto in modum pecudis. Testatur Eunapius, in vita philosoph. Deinde, licet adipiscantur, quod querunt, tamen se ideo deceptos adhuc vident, quia non evadunt (quod sperabant) commune diluvium seu communes hominum miserias, curas, labores, ægritudines, inimicitias, molestias, morbos, mortem. Æque enim frigent, esurunt, ægrotant, sper-

nuntur, traducuntur, anguntur et moriuntur ut ante. Neque et nomen suum celebrarunt, sed potius conspurcarunt: quia scilicet fatorem nominis sui post se relinquunt et ludibrio habentur; quemadmodum et nunc larvati seipsos risu expnunt. Denique, non satiantur dignitatibus vel honoribus partis: sed sicut infinitus labor foret, ad cælum usque ædificare, sic infinitum est ambitionis desiderium. Pervenit quid ad gradum signiferi; numquid ibi quiescit? Minime vero, sed illico quærit esse capitaneus. Huc ubi pervenit, vult esse bellum dux, deinde, princeps, postea imperator. Hic orbis totius affectat imperium, et si illud obtinuerit, dolebit cum Alexandre Magno esse plures, quibus imperare queat.

II. Clamat per avaros: *Venite sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur.* Quod dicebat Pharaon de populo Hebreo, idque sedulo faciebat atterendo eum laboribus. Idem faciunt avari opprimendo pauperes. Sed quemadmodum illi res pessime successit: ita solet et istis; nam propterea Pharao, ejusque populus decem gravissimis plagiis infestatus, et a Deo castigatus, deinde at Hebreis spoliatus, ac denique in mari rubro submersus est, Exod. XIV. Et de avaris ait apost. I. Tim. VI. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* Avari postquam induerunt se laqueis avaritiae, perpetuis anguntur desideriis suo scilicet conservandi et plura cumulandi; unde sapienter opprimunt alios, id est, multis technis, fraudibus et mendaciis emungunt illis pecunias et bona sua: currunt, equitant, navigant, somnum arcent, eviscerant se ut araneæ, variaque retia tendunt ad capiendos nummos: ei tamen nil nisi majores curas et muscas capiunt; atque ita dum ipsi laqueos tendunt opibus, interim cadunt in laqueum diaboli. Itaque: *Desideria eorum sunt inutilia,* ait apostolus, quia imprimis sœpe non acquirunt prædam speratam. Unde Sapiens, Prov. XXIII. ait: *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere; quia facient sibi pennas quasi aquilæ et volabunt in cælum.* Deinde, licet acquirant, adhuc non satiabuntur, quia dives cupidus semper se judicat esse pauperem. Et præterea nociva etiam sunt avarorum desideria, apostolo teste, non solum anima habentis, sed etiam carnis hominibus, quibus student auferre bona: uti Jacobi IV. dicitur: *Unde bella et lites in vobis?* Nonne hinc ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris? *Concupiscistis et non habetis: occiditis et zelatis, et non habetis.* Inde percutiuntur avari probris, detractionibus, furtis, invidia, etc. præter intestinas eorum plagas. Habent curam,

muscas perpetuo eos infestantes; cinches, id est, conscientiae stimulus; ranas, id est, aliorum detractiones; tenebras, id est, metum judicii; ulceræ, id est, peccata gravis; sanguinem, scilicet pauperum clamantem in cælum; locustas, id est, fures; mortem primogenitorum, id est, perditos et prodigos liberos. Tandem ut Ægyptii bonis suis vasis scilicet aureis et argenteis spoliati sunt, et deinde in mari submersi: sic et avari spoliatur in morte amarissima omnibus suis bonis, et forte alienis et ingratis, mergunturque in interitum et perditionem, apostolo testante.

III. Clament per libidinosos: « Venite et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosas antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non petranseat luxuria nostra. » Ita loquuntur impii, Sap. II. ubi tamen mox subiungitur: *Hæc cogitant et erraverunt: excœcavit enim illos malitia eorum:* et cap. V. sequenti ipsimet fatentur: *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis.* Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus, etc. Errant ergo isti et ex verissimis propositionibus falsissima concludunt multipliciter, primum enim desiderant multo tempore frui deliciis, unde dicunt: *Venite et fruamur bonis, et utamur creatura tamquam in juventute,* id est, ita nos delectemus, ut nunquam consenescamus, ut ibi Lorinus; interim tamen delicias suas ipsi præscindunt per intemperantiam libidinis. Deinde, quia tempus breve est, ipsi id deliciis dare volunt: *Non prætereat nos flos temporis,* inquit: cum tamen longe aliter cum apostolo concludere deberent, I. Cor. VII. *Fratres, tempus breve est, reliquum est, ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint,* etc. et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi. Rursum cum dicunt: *Coronemus nos rosas,* plurimum aberrant, pro rosis enim inveniunt spinas suas in libidine, siquidem morbos sibi conciliant, veluti spectra incedunt: inde diffamantur et omnibus odio sunt ac contempti: loculos insuper suos exhaustos vident cum prodigo filio: amor etiam obscenus cito in odium vertitur. Quot vulnera sibi infligit qui rosas illas carpit? Denique, in eo errant, quod omne pratum percursuros se sperent sua luxuria, undique enim impedimenta inveniunt, æmuli insidiantur, magistratus punit, Deus castigat. Atque ita sicut qui per prata equitant aut currunt, interciuntur et multantur, sic fit obscenus amatoribus, ut dum noctu quæ-

runt venires suas, intercipiantur, etc. Unde merito tandem exclamat: *Ergo erravimus.*

IV. Clamat per invidos: *Venite et cogitemus contra Jeremiam cogitationes:* et: *Venite et percutiamus eum lingua,* Jer. XVIII. Et invenit sane multos dæmon, qui ei obsequantur, præsertim in conviviis, quæ celebrantur his maxime diebus. Ibi enim certatur detractionibus et nemo non laceratur: ita ut si quis confiteri cupiens, peccata sua non recordetur, eat ad convivium Bacchi, et ibi ea diligentissime enumerari audiet. Ibi exigitur etiam falsa, quæ dicantur in odium aliorum et ad placitum convivantium. Sed interim ipsi etiam grave jugum diaboli gerunt, dolent enim ob aliorum prosperitatem aut excellentiam, et vanos se perversosque produnt coram sapienibus, dum aliorum vitia produnt. Unde Eccles. XIX. dicitur de inido: *Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in ore stulti.* Talis enim sagitta ostendit carnem esse saucium, et continuum ei dolorem affert: sic verbum detractorum, ostendit detractorem ipsummet esse peccatorem, et affligit eum donec evomat quod de aliis male audivit. Horridum foret aspicere convivantes anthropophagos, qui homines membratim concidunt et vorant. Et quid aliud faciunt detractores? Nonne et ipsi deuantur devorantque homines, cum eorum famam rodunt? Unde apostolus, ad Gal. V. ait: *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Grave etiam sibi onus imponunt restituendi videlicet honorem ablatum, quod ægre admodum fit.

Itaque detractores primo, torquentur donec undique detrahant: secundo, seipsos magis quam alios feriunt: tertio, difficile curam admittunt.

Certe his imprecatur Jeremias, eod. cap. Tu autem Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitiaris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruptentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis. Quibus verbis non tam imprecatur invidis, quam denuntiat eos esse incurabiles, quia resistunt reprehensioni, nec volunt fateri se aliis detraxisse: ut enim canis mordet etiam eum, qui vult ei sagittam e pede extrahere, sic detractor.

V. Clamat per iracundos: *Venite occidamus eum.* Sicut clamavit per Scribas in Phariseos Christum persequentes, Matth. XXI. Hoc verbo invitat dæmon homines ad vindictam exercendam, ad rabiem suam etiam in innoxios exonerandam, et sane hoc tempore plurimos inveni sectatores, qui videlicet armati de nocte grassantur per plateas et nil aliud optant, quam vulnera aut infligere

## CONCIO III.

aut recipere. Qui sane in jugo diaboli trahendo non infimi sunt: sibi ipsis enim imponunt onus grave perturbationis et damnorum emergentium. Sive enim vulnerent sive vulnererentur, sive occidunt, sive occidantur, annon sibi nocebunt? Quam stulti forent illi milites, qui volentes duello certare, id a suo duce nequaquam obtinerent nisi hac lege, ut qui alterum occideret, et ipse occidetur? Atqui hoc norunt iracundi, sibi videlicet sive ländant sive ländantur parem immixtum cladem. Quemadmodum ergo Judæi male perierunt et acerbissime puniti sunt in excidio Jerosolymitano ob Christi necem: sic etiam iracundi supplicum sibi afferunt. Eleazarus ille, cum subter elephantem ingressus esset et gladium in ventrem ejus adegisset, bestiam quidem prostravit, sed ipse etiam victor a corrente bestia oppressus est, I. Macch. c. VI. simili pugna decertant elephas et draco pari utriusque exitio. Draco in elephantem insilit et sanguinem ejus ebibit, demum elephas exsanguis concidit et draconem inebriatum opprimit ac commoritur, ut refert Plin. lib. VIII. c. XII. Ita evenit etiam Judæis: occiderunt illi Christum et sanguinem ejus suixerunt, cum clamarunt: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, Matth. XXVII. itaque venit super eos, quando videlicet post triginta octo annos in obsidione miserrime obtutti et exterminati sunt. Idipsum evenit iracundis et gladiatibus: vel enim occidunt, et tunc ipsi quoque ad necem queruntur, vel saudant tantum et pœnæ obnoxii sunt, habentque insuper hostem perpetuum, conscientiam item postmodum inquietam et seram pœnititudinem, vindictam Dei sibi imminentem, etc.

VI. Clamat per gulosos: *Venite sumamus vinum et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras et multo amplius*. Sic clamat apud Isaiam, cap. LVI. Ad quam vocem plurimi sane his diebus maxime diaboli jugo se subjiciunt. Sed quam grave est hoc jugum, nonne sibi ipsis pœnas affrent ebriosi? Et nonne magna pœna foret, si quis quoniam inebriari deberet? Quid quod aliqui ita assuecant ebrietati et intemperantiae, ut semper sitiant, quia scilicet hepar inflammatum habent? Annon isti mancipia ventris sunt.

Multum vero decipiuntur in eo, dum sibi promittunt diutinam vitam, dicentes: *Erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius*. Ipsi enim sibi præcident vitam, et merentur ut præcidat eis Deus. Unde dicit Job, c. XXI. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt*. Alius enim in ebrietate per scalam cadit et extinguitur: *In punto ad infernum descendit*: alius confunditur: *In punto, etc.* alias mane in lecto mortuus repe-

ritur: *In punto, etc.* alius apoplexia tangitur: *In punto, etc.* Etsi tale quid vel uni tantum ex nobis eventurum sciremus, nonne omnes metuere deberemus?

VII. Clamat per otiosos: *Venite et mittamus sortes*. Sic dicebant naute periclitantes in mari, Jon. I. idem otiosi dicunt bacchanaliorum maxime tempore. Cum enim honestas alias recreations, multo magis vero laborem fastidian, ludos et aleas proferunt. Et si quidem ludus esset moderatus, utcumque tolerari posset. Sed nimis excedit limites, et fere ita luditur ut non tam recreatio, quam amaritudo in ludo percipiatur. Ut enim in charta lusoria quatuor sunt figuræ, ita et lusorum quatuor mala sunt. Primum est, perpetuus perdendi metus, quia et perpetuum periculum, designatur per folia, quæ in arbore semper tremunt. Sic enim dum pecunia est sub alea, semper trepidat lusor; ita ut quandoque lusores postquam omnes facultates suas et uxores perdidissent, vitam sibi eripiant. Secundum, insatiabilis ludi cupiditas, ita ut nec cibum capere, nec somnum queant, interdum designatur per cordis figuræ, quia scilicet lusus consuet or commentemque occupat, et eo interdum ab ripa, ut tota ejus familia pessum eat. Tertium, infamia et dedecus, siquidem male sonat, sive dicaris magnam summam lucratus esse, sive perdidisse, utrobique temeritatis convinceris et levitatis, ut multis accidit: et hoc per nolas, stultorum insignia designatur. Est enim ingens stultitia, quod quis pecuniam multo labore partam unius aleæ jactui credat, aut folio chartaceo. Et nonne magna stultitia eorum est, qui postquam sua perdidissent, solent ipsas chartas dentibus lacerare; quanto rectius sibi ipsis irascerentur, qui chartas non abjecerunt. Quartum, inopia, quæ plerumque comitatur aut sequitur lusores, designatur per glandes, quæ sunt pororum cibus; nimirum tunc cum prodigo filio eo rediguntur ut glandes tandem et pororum siliquas comedere cogantur: tametsi vero luceris, parum id tibi proderit, quia caret Dei benedictione tale lucrum.

Cæterum super hæc omnia, gravissimum superstrest jugum, obligatio videlicet reddendæ rationis coram Deo.

Ad extremum igitur Christus a diaboli jugo nos evocaturus, clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*: clamat mundus: *Ego deficio*: clamat caro: *Ego inficio*: clamat diabolus: *Ego interficio*: clamat Christus: *Ego reficio*. Quem malum audire: et certe nisi nunc audiamus dicentem et vocantem: *Venite ad me omnes*; et: *Tollite jugum meum super vos*: non audiemus ibi dicentem: *Venite benedicti Patris*

## IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

*mei*. Itaque: *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione*.

## CONCIO IV.

## JUGUM QUADRAGESIMALE ACCEPTANDUM.

- I. Jejunium quadragesimæ. — II. Modestia et honesta major. — III. Pœnitentia. — IV. Majus studium audiendi verbum Dei. — V. Fuga peccatorum major. — VI. S. communio paschalis.

## THEMA.

*Tollite jugum meum super vos, et discite a me*. Math. XI.

Faustus fuit hic dies apostoli Matthiæ Caroli V. imperatori laudatissimo, quoniam eo die natus est, eo Gallorum regem devicit captivumque fecit in memorabili pugna apud Ticinum Insubria urbem, eo denique Augustale diadema de manu pontificis Romani Bononiæ suscepit, Maiol. tom. I. canic. coll. IV. Unde gloriabatur optimus princeps, quod hoc die non solum vitam, sed et sortem imperii, felicitatis et vitoriarum accepisset. Nobis etiam, auditores, faustum illum diem non immerito reputamus quia nimirum plerumque in capite quadragesimæ solet nobis occurere, eamque nuntiare. Quid autem est quadragesima, nisi tempus in quo secundum animam renascimur per pœnitentiam? Quid nisi tempus et occasio plurimarum vitoriarum, quas de mundo, carne, dæmonie possumus reportare? Quid nisi tempus gloriae in quo, si unquam alias, suave Christi jugum velut coronam imperiale (*quia servire Deo regnare est*) capitio nostro imponimus? Sed video, auditores, multos esse, qui diei hujus felicitatem dictam parum apprehendant, quia hoc jugum timent. Idcirco pondus hoc nonnullum allevabimus.

I. Jugum primum est jejunium quadragesimale. Et hoc quam leve! Quam suffultum? Præcipitur abstinentia a carnibus: quantulum id est? Numquid in solo carnis esu vivit homo? Quomodo enim ante diluvium per annos 1600. vixerunt homines et quidem usque ad 900. annos, qui tamen carne et vino abstinuerunt juxta communione pp. et dd. sententiam? Et quomodo extra jejunia multi nullo negotio carnibus abstinent, imo esum earum tandem fastidunt, et alios cibos præferunt? Quomodo villani, cum vix quater in anno carnes edant, interim tamen robusti sunt et longevi? Sed nimirum recte dixit Habacuc, c. I. *Homines esse velut pisces maris*. Nam uti pisces qui in nassa sunt egressum querunt, et qui extra

ingressum: ita nos in vetitum nitimur, et cum licet edere carnes, fastidimus; et cum non licet, desideramus. Unde hæc persuasio, nisi ab illo, qui vetitam arborem suasit Evæ, quasi ceteris meliore et salubriore, cum esset omnibus pestilentior? Quis non dicat levissimum fuisse præceptum, ut abstineret Adam ab unica illa arbore, ceteris omnibus concessis, similiter quis audeat dicere grave esse jugum aut præceptum, solis carnis abstinere ad tempus, ceteris omnibus cibis permisssis.

Deinde, præcipitur jejunium, id est, unica in die refectio. Et quid hoc difficile? Nonne sat superque suffulcit hoc jugum Ecclesia? Permittit collatiunculam vespertinam, non interdict potum, anticipavit nonnullum refectionem, non culpat paulo liberaliorem refectionem, excipit a jejunio dies dominicos, excipit juniores usque ad annum vigesimum primum completum, excipit senes viribus destitutos, excipit pauperes qui non habent, quod sufficiat vel refectioni, excipit eos qui duriore occupantur labore, excipit infirmos, feminas gravidas et lactantes, denique, si quis probabili motu ratione impotentem se existimat ad jejunia juxta rigorem ecclesiasticum, facile acceptat ejus excusationem, qua tamen in re confessarius aut vir prudens consulendum; quia universum cum gravi alicuius damno neminem intendit obligare. Quid blandissima mater nostra facere nobis amplius poterat? Considerate exemplum Christi et videte, utrum æquum sit Christo jejunare, nos ventri indulgere? *Discite a me*, inquit. Nescimusne quid evenerit populo Hebræo, quando Moyse in monte jejunante quadraginta diebus ipse dedit manducare et bibere, et surrexit ludere? Exod. XXXII. Et cur jejunavit Christus, nonne propter nos solummodo. Sanctissimus ipse erat, non indigebat hac medicina: sed propter nos eam sibi applicavit, ut nos adhiberemus. Si medicus videns ægrum abhorre a cauterio sibi necessario candens ferrum arriperet, et sana licet in carne sua unctionem prior faceret, solum ea causa, ut persuaderet agro unctionem illi necessariam: nonne qui ulcus habet, ferrum e manu medici rapere deberet et ulceri suo infigere? Vel saltem cauterium libenter accipere? Præente rege Ninive ad jejunium et pœnitentiam, facile subsecuta est tota civitas, tametsi id sua causa faceret rex: cur ergo non sequamur Christum jejunantem propter nos? Demum viderit unusquisque, ne si ad modicum tempus ejusmodi cupidine renuat privari, in æternum ea privetur? Quo modo legimus comminatum aliquando Deum Hebræis, si noluerunt dare terræ sabbatum anni septimi, fore ut ea ejectis et in captivitatem duc-